DE MORBO DEMOCRATICO,
NOVA INSANIAE FORMA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PSYCHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI TRIBUANTUR
DIE XXI. M. DECEMBRIS A. MDCCCXLIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
CAROLUS THEOD. GRODDECK
GEDANENSIS.

ADVERSARIIS:
H. REIMER, med. et chir. Dr., med. pract.
TH. MIGEOD, med. et chir. Dr.
H. RUHDEL, med. et chir. Dr.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PARENTIBUS

S U I S C A R I S S I M I S,

DILECTISSIMIS, SUMMOPERE COLENDIS

NEC NON

VIRO

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

PETRO KRUKENBERG

PRAECEPTORI PATRONOQUE SUO AESTUMATISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Der daz buoch getihtet hât,
alsô verre er sich verstât,
so enwil er niht hân gelogen.

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

des sîn sie alle underrihtet
die ez hoeren oder lesen.

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

er taet ez gerne, kund er, baz
und tout ez aber gerne,
er giht, so erz baz gelerne.
die wile habent diz für guot;
wan swer mit guotem willen tuot
ein dinc sô er beste kan,
dar umbe soll in nieman
bestrâfen noch beschelten.
ouch ensol er niht entgelten,
ob maneger sine stunde
baz bewenden kunde
an getihte dan er.

Flore und Blancheflur
Konrad Fleck.

PROOEMIUM.

„Heil Dir, mächtige Tollheit! Heil Dir!
„Dein Reich breitet sich aus, Deine Macht
„besiegt Alles! Wohin das schwellende
„Segel den Reisenden trägt, ist nicht der
„klügste, nicht der beste Mann vor Dir
„frei.“ Penros. Flights of Fancy p. 16.

Verba sane gravissima, quae tempora recentissima egregie confirmarunt, quae humanitas quaedam ignava praepostere despicit, periculum quo vexatur, speciose negans atque amplissimo stultitiae optimismo speciem formidolosam contegens, struthionem quasi in furibunda venatione circumfremente.

Officium autem adversus homines rectius exsequimur, eos contemplantes, quales sint, non quales esse oporteat, idque maxime medici esse arbitror, qui munus adjuvandi sanandique suscepturus est, ut illud postulatum agnoscat atque expleat; sensus enim non temere cogitationi servire, sed liberos esse oportet, sive comprobantes, sive rejicientes. Nec verus hominum amor deprimente quadam agnitione sibi spem fidemque emendationis vel perfectionis eripi patiatur.

Hac igitur reputationes, adjuncta gravi commotione, quam res recentissimae in me, ut in quoque alio oculos non de industria claudente, excitarunt, me impulerunt, ut has res recolorem atque in causas earum inquirerem. Cujus disquisitionis ne fila perdantur, ordinem, quem persequar, jam in universum apponam, licet per nexum mutuasque materiae relationes vix contingat, ut singulas partes stricte separemus nec nonnulla praecipiamus, ad quae deinceps recurrendum.

Sicut in quolibet morbo contemplando, primum, notione generali explorata, causae remotae reperiendae erunt, quae stadium incubationis et prodromorum adducunt, praedispositionem conformant et seriorem morbi decursum adjuvant; tum causae proximae apponendae, evolutio, symptomata, decursus, exitus et, si hac uti licet voce, curatio morbi.

AETIOLOGIA GENERALIS.

Vita hominis mundana in impressionibus tum recipiendis, tum exhibendis constat: illud quidem per sensus organa fit, hoc per organa motoria. Transitus unius actionis in alteram aut immediate per reflexionem in motionibus instinctivis paratur, aut inter utramque actionem tertia inseritur, illa imaginationis, verae perceptionis (1).

Ista imaginatio agit dupliciter, tamquam irritatio tum sensoria tum motoria. Illa sensus laeti et moesti provocantur, prout nos aut effert, aut deprimit; hac transitus ad agendum conciliatur, nisus, voluntas commovetur (2).

Causae perceptionum indeque exorientium imaginationum aut extra nos ipsos positae sunt, aut in nobis ipsis. Perceptione posteriorum, mutationum sensus com-

---

(1) Griesinger, Pathol. u. Ther. der psychischen Krankheiten. Stuttg. 1845. §. 14. p. 18. 19.

(2) Griesinger l. c. §. 18. 19. p. 25 sqq. Spinoz. Lehrsätze. Müller, Physiologie II. p. 543 sqq.

munis, appetitus nascuntur coëundi vitamque sustentandi(1), qui in sensu inopiae cujuspiam necessitatisque eam explendi constant. Imaginatio, si satis valida, transitum ad agendum expugnat. Sed non quaevis imaginatio hoc robur consequitur, nec omnis in factum exit respondens. Per peculiarem scilicet mentis nostrae praedispositionem, quae coordinatoriae motionum musculorum facultati analoga est, cujusque imaginationis in conscientiam introitu multae quoque aliae imaginationes introducuntur, primitivae non solum analogae, sed etiam, ex lege antagonismi in natura quoque hominis physica dominante, contrariae et reluctantes. Quo in mente imaginantis certamen producitur et prout adjuvantes aut coërcentes imaginationes praevalent et plus vel minus ad definitum complexum imaginatorium, qui statuit illud ego, spectant, transitus ad actionem aut consequitur, aut intermittitur(2).

Normalis opitulantium et cohibentium imaginationum consequutio indeque oriens pensitandi certamen per nosmet ipsos sive, reputationis ante actionem, prudentiam constituit, quae omnis libertatis conditio est primaria (3).

Hinc jam elucet, libertatem quandam absolutam non esse, sed modo relativam. Magno enim ineuntis imaginationis robore et contemporanea facultatis imaginatoriae inertia imaginationes contrariae in conscientiam justo tempore pervenire nequeunt, aut brevem post im-

(1) Griesinger l. c p. 31.
(2) Griesinger l. c. p. 35. Müller l. c. p 529 sqq.
(3) Griesinger l. c. p. 36.

petum removentur atque actio sequitur sine praemeditatione, in affectu, voluntate remissa, plus minusve circumscripta aut sublata imputatione. Est igitur cujusque sese excolentis, imaginationibus saepius reproducendis cogitandique exercitatione contemporaneum ad actionem excitantium et contrariarum imaginationum introitum in conscientiam adducere. Quod officium, quamquam haud leve est, quum saepenumero repetitum laborem et ejus ipsius circumscriptionem requirat, qui fortasse imaginationibus jucundis indulget earumque cohibitionem aegre fert, tamen per se solum non sufficit. Altius insuper est hoc officium, quod totalitate, in qua singuli vivunt, imponitur, ut in complexu imaginatorio, qui nosmet ipsos constituit, sensim formando illas imaginationes, quae potissimum nos ipsos juvant, non cum damno contrariarum foveamus, quae totalitatem constare faciunt; ut nos ipsos sic educemus, ut totalitati non noceamus. Prima est educatio mentis, intelligentiae postulatum; altera animi est educatio, postulatum moralitatis. Posterior totius vitae socialis et civilis conditio capitalis est, nam nobismet ipsis insolenter promovendis societas bello omnium contra omnes implicatur et civitas in chaos quoddam dejicitur. Agnitio istius coërcitionis necessariae mos est ejusque vox locuples est lex.

In vitae quidem transcursu illud ego haud raro valde modificatur, quia post repetita certamina, quae pari modo decernebantur, imaginationes semper rejectae rarius tantum et levius procedunt ac postremo ferme plane ex conscientia excidunt, ubi illud ego longe aliud

exstitit. Quae commutatio aut celeri turbulentoque fit modo, si imaginationes ingruentes admodum validae sunt, hisque expugnatae actiones tales existunt, ut individui relationem ad societatem valde immutent. — Vehementia pugnae hinc in conscientia provocatae gravior mentis commotio sentitur, quoad pristinum ego aut nihilo secius principatum obtinet, aut novis ingressis imaginationibus sic complicatum atque penetratum est, ut perfecta exstiterit assimilatio, quae non amplius pugnae ansam praebet. Tum sane animi commotiones cessant, potestque homo iterum tranquille et pluribus rationibus forma recta cogitare; at summae imaginationum deest complexio quaedam et ei opposita in omnibus futuris disceptationibus istius ego principatum exercet non controversum. Altero in casu, si ingruentes imaginationes sat quidem validae sunt, quibus illud ego alienetur, sed propter affinitatem quandam cum imaginatorio complexu istud formante resistentia gravior minus provocatur, certamen quidem minus vehemens, minor animi commotio locum habet, sed eo perfectior pristini ego absorptio, quoniam hoc, novis imaginationibus paullatim penetrantibus, nunquam in conscientiam integrum pervenit. Idem est exitus atque uterque processus eundem mentis morbum adducit, qui modo ortus ratione ac prognosi, quae altero in casu longe faustior est quam in priore, discrepant. Cujus status distinctio ab normali praesertim in initio saepe perdifficilis est, transitus haud raro tam latentes, abnormitates tam pusillae, inconstantes et transitoriae, combinatio imagina-

tionum intactarum tam logica, ut insaniam statuere facile queas dubitare (1).

Signa hic sunt diagnostica: aegrotus certis complexibus imaginatoriis sensim discedentibus aequivalens, ut ajunt, adversus contrarios tum plane perdidit, ut falsa judicia inde enata emendare prorsus nequeat, ac mentis actio potius in eo tantum adhuc constare possit, ut illa ex superstite copia imaginationum adducendis adjuvantibus confirmet, donec elementa illius ego tam capitalia fiunt, ut hoc ipsum corruptum tamquam inerme abripiatur. Insania est conscientia sui suaeque relationis ad contrarium sublata, signumque ejus est characteristicum, quod „cogitationes per contradictionem sive externam sive internam in tractu suo non amplius inhibentur.“ (Herbart.) Quae cogitationes quidem non semper logice carent, nam etiam in insano mens, quamdiu omnino adhuc exstat, ex legibus ipsi praefixis, quae cum illa ipsa demum disparent, imaginationes suas confirmare studet. Haec operatio plane normalis et rationalis est; at etiam inflammatae corporis parti sanguis normaliter affluit, nam hic uti illic vitalis energia in spatiis, quae ei usque ad interitum certo praescripta sunt, sese exhibet. Nemo autem morbum, qui via normali sustentatur, pro sanitate duxerit, neque homo id-

(1) Lelut, recherches des analogies de la folie et de la raison. (Gaz. méd. 30. Mai 1834.) Marc, die Geisteskrankheiten in Beziehung zur Rechtspflege. übers. von K. W. Ideler. T. I. p. 13 sqq.

circo mente sana gaudet, quod falsas suas cogitationes eadem, qua sanus, facultate confirmare nititur.

Similiter atque ortus cogitationum morbosarum origo se habet nisuum morbosorum, affectuum. „Affectus jam per se morbosa mentis est conditio, quippe nisus est ille, quo ratio prohibetur, ne istum respectu delectus cujusdam cum summa omnium nisuum comparet“ (1). Omnis appetitus, omnis contentio mentis id spectat, ut sese prae ceteris obtineat atque evolvat, quippe affines ad se attrahens et obstantes repellens (2).

Cupiditates inde proveniunt, quod nosmet ipsos pluris aestimamus, quasi centrum totius practicae mundi contemplationis facientes (3). Studium hujus deceptionis propriae alios quoque decipiendi, nimiam sui aestimationem aliis quoque persuadendi, egoismi nisus est. Ei rei consequendae aequale aliorum studium resistit, „idque impedimentum, quod egoistae mutuo sibi opponunt, eos prohibet, ne in insaniam incidant; contra, si cuipiam eorum contingit, ut cupiditates suas plane expleat, absurditas ejus nec modum, nec finem habet.“ (4)

AETIOLOGIA SPECIALIS.

Omnibus cupiditatibus nimius sui amor communis est, omnesque ex communi illo nimiae sui aestimationis

(1) Kant, Anthropolog. p. 224.

(2) Griesinger l. c. p. 30—34. Ideler, Seelenheilk. T. I p. 541 sqq.

(3) Ideler, Seelenheilk. T. I. p. 578.

(4) Ideler l. c.

fonte emanant, quare non mirandum, quod in evolutione sua saepenumero se invicem conficiunt et admodum complicatam seriem turbationum morbosarum exhibent (1).

Ambitio pro nimia sui aestimatione quasi in fluxum abrepta ducenda est: vanitas est in motu. Altera adversus alteram se habet, sicut cogitatio adversus nisum. Nata ambitio ex morbose elata honoris appetentia homini insita, quae in conscientia dignitatis humanae posita justum pretium apud se aliosque valere vult, ab vulgari honoris appetitu ipsa differt inopia rectae cognitionis et sequelis ex falsa positione deductis. Ex sui deceptione prognata aliisque decipiendis sese sustentans ambitio simulare debet speciemque pretii in locum veri substituere. Individuum eo damnum patitur, quod una cum falsa adulatione, quae vulgo plausus ferendi gratia exhiberi debet, morboso nisu semper latius exspatiante resarciendum est.

Ambitioni maxime affinis est dominandi cupido, quae sui elationem aliis deprimendis efficere studet. Eadem jam magis quam ambitio negativam intentionem omnium cupiditatum statumque hostilem ostendit, in quem illa correpti adversus societatem conjiciuntur.

Alia species est avaritia, pravus acquirendi nisus, qui sui promotionem appetit. Qui nisus, omnes motiones nobiliores supprimens, non solum nimium sui amorem nuditate turpissima apparere facit, verum etiam

(1) **Ideler** l. c. T. II. p. 500.

quia metus, ne subsidia comminuantur, ab usu eorum prohibet, mox ad maxime ridiculam stultitiam ac fere semper ad praefixum scopum minime attingendum deducit.

Pravus nisus libertatis externae quasi complexio est omnium cupiditatum singularum, quibus latior illius fluxus expletionem indigetat. Secundum spatia diversa, quae jus libertati externae aperit, haec diversas init directiones apparetque tamquam nisus honoris, potentiae, bonorum, atque in omnibus his rebus singulis maxime potest efferri. Sublata agnitio cohibitionis necessariae hic, uti in cunctis casibus singulis, deceptione intercedente transitum nisus in affectum constituit. Cujus transitus sequelae, si amplius disseminantur, in terribili cernuntur omnium rerum perturbatione, quae salutem uniuscujusque in ruinam generalem abripit.

Si positivae cupiditatum ostentationes constante ordine sociali nonnisi sparsim procedere queunt, earum energia tanto magis directione negativa expediatur, quare rejecta ambitio, avaritia et dominandi cupido in invidia, odio et ulciscendi cupidine vivere pergit, namque „egoismus quoque tempore directam petit moralis regiminis mundi eversionem, quum per jura aliorum se arctius circumscriptum videat.“ (1)

„Hoc negationis studium nostra furit aetate et qui illud non animadvertit, is hanc tempestatem non dispiciet. Cum illo igitur de fructu omnium ingenii conten-

---

(1) Ideler l. c. T. I. p. 579.

tionum, quo nos privaturum est, conflictandum; quaeque res adversa, quam nos tamquam infortunium conquerimur daemonicum, ab isto studio proficiscitur: idem frena quasi equorum dilacerat eosque in sua spatia exitiosa trajicit" (1).

Ista igitur ex egoismo oriunda elementa, per societatem dispersa, individualem ad morbum nostrum dispositionem exhibebant, et pro praeponderantia vel majore vel minore diversis in locis speciem mali plane diversam proferebant. Formae quidem morbi in singulis semper sunt commune productum individualitatis educatione, vivendi ratione et consuetudine conformatae, atque ideae in tempore dominantis, qua quod omnibus commune producitur (2).

Haec cogitandi agendique communitas aemulatione provocatur. In hac quidem si omnia cultus hominum principia sita sunt; si eadem quasi mentalem hominis ortum repraesentat, mores omnes procreat et sustinet, eoque omnes nisus potest temperare et egoismum postulatis totalitatis applicare; si illa plerisque hominibus terminos praefigit, intra quos actio atque cogitatio versari potest, neque unquam libere eos sese movere sinit: potentia paene infinita, quam aemulatio in singulos eoque in totalitatem exercet, nobis ostendit, quanta pericula

(1) K. Werder, Rede zur Feier des Stiftungstages des Friedrich-Wilhelms-Instituts. 1849. p. 20.

(2) R. Leubuscher, der Wahnsinn in den vier letzten Jahrhunderten nach dem Französ. des Calmeil. Halle 1848 introduct.

tam individuo quam societati morbosa illius elatio afferre debeat (1).

Secundum rem, quae vim nisum excitantem provocat, phaenomena quidem discrepant, semper autem extensione majore ad intensitatem efferendam inclinant. Quando vires (Eindrücke) indolis sunt corporalis, uti conspectus singulorum morborum, potissimum motoriorum, e. gr. epilepsiae, choreae St. Viti, aliorum, per reflexationem in medullam spinalem paria symptomata in individuo percipiente producunt: quo modo potens iste nisus per saecula pluribus in terris fere dimidiam incolarum partem in saltandi furorem abripuit. Hoc loco jam annotandum, quod deinceps quoque valet, translationem nonnisi ex potentiae illatae robore pendere per rationem, quae inter hoc et percipiendi facultatem individui vim recipientis intercedit.

Nam hos quoque aevi medii morbos epidemicos malignitas atque avaritia haud raro latius disseminabat. „Schaaren versunkener Müssiggänger, inquit Hecker (2), welche die Geberden und Zuckungen der Kranken trefflich nachzuahmen verstanden, zogen von Ort zu Ort und verbreiteten das widrige Krampfübel, wie eine Seuche: denn bei Krankheiten dieser Art werden die Empfänglichen eben so leicht von dem Scheine, wie von der Wirklichkeit ergriffen.“

(1) Ideler l. c. T. I p. 295 sqq. Hecker über die Sympathie. Berlin 1846 p. 8 sq.

(2) Die Tanzwuth, eine Volkskrankheit im Mittelalter. Berlin 1832 p. 6.

Hae epidemiae relationibus, quae quibusdam conditionibus circa originem tribuebantur, eoque, quod verus vel fictus incessus saepe omni catagione carebat, solaque vi imaginatoria et voluntate dimissa adducebatur, quam jam Paracelsus animadvertit, variam offerunt imaginem morbosarum corporis animique conditionum, quare hinc ad effectus aemulationis in finibus psychicis considerandos aptissime transimus. Nihil ambitum eorum clarius docet quam vis, quae in homines consuetudine (Mode) exercetur. Haec non solum sensus passim plane corrumpit, quod res maxime insipidas visu repetito ferri facit; non solum omnem venustatis amoenitatisque mulierum rationem supprimit: non solum dolores vehementissimos cum risu perferri facit et sanitatis periculum tranquille exspectari, verum etiam venustate morum sublata libidinem palam ostendit. Quod post Francogallicam rerum conversionem mulieres Parisienses (1), ut nationem magna jactura per securim mortiferam facta placarent, per vestimenta sua graviditatem simulare tentabant, isque mos tantopere divulgabatur, ut nulla femina elegantior a. 1796 publice aliter incedere voluerit (2), id quidem terribili illius tempestatis feritate excusetur: quod autem in Anglia, terra illa morum severissimorum, virgines Londini modo turpissimo futurum suum finem toro sub vestibus applicato indigetare audebant, id est documento, nulla potentia sensus moralis aemu-

(1) Ideler l. c. T. II. p. 314.

(2) Souvenirs de la marquise de Crequi. Tom. VII.

lationi morbose elatae temperari posse (1). Imo nisus vivendi non satis validus, uti epidemiae succidii inter virgines Miletides, in Napoleonis cohorte consulari atque alibi satis demonstrant (2).

Sic quoque historia docemur, aut post individualem morbum eminentem, aut morbosa idearum per tempora prolatarum elatione lues psychicas exoriri, quibus incolae totarum terrarum corripiuntur atque adeo intelligentissimi quique suae aetatis insanae superstitionis vinculis constricti tenentur.

Aevii medii potissimum historia multas epidemiarum psychicarum series exhibet, quales obscuro fluxu ingenii temporum, cum confusione sua ac exaggeratione monstrosa, tamquam immodica superlatio animi equestris et religiosi ardoris provocabantur. Hinc pueriles expeditiones sacrae, res illa in aeternum memorabilis, cui similem historia nunquam repetat: at superstitio gentes vesania terribilem in modum flagellabat, quarum mens in ejus servitium redacta erat. Caedis monomania, quae primum saeculo decimo quinto exeunte anthropophagiae specie in Germania processit, hinc in Francogalliam transiit, ut in lycanthropiam abiret, plus quam totum per saeculum incolas multarum regionum in timorem maximum conjecit, eorumque animos rigido horrore constrinxit, donec post judicium parlamenti Francogallici a. 1598, pro caedis accusatus lycanthropus in

(1) Ideler l. c. T. II. p. 315.
(2) Ideler l. c. T. I. p. 618. Esquirol.

morotrophium ablegabatur, disparuit, ut denuo modo fere saeculo decimo octavo in Polonia, Hungaria et Moravia cognata specie vampyrismi prodiret.

Theomania porro, daemonomania et hysterodaemonopathia tria per saecula non modo animos hominum imprudentium, sed ferme omnes viros eruditos suae aetatis in vesaniam abripiebant desperatissimam, et crudelis inde prognata persequutio nonnisi malum adaugebat. Etiam tempore recentissimo, nostro saeculo, ut ajunt, erudito hasce perversas affectus sensualis religiosi excrescentias, sparsim sane formaque leniore, promanare cernimus, atque convulsiones Janssenistarum prope sepulcrum St. Parisii, sectarum petulantia Jumpersiana et Shakersiana, morbus Sueciae concionatorius et conamina quaedam recentiora Messiam procreandi clare demoustrant, dispositionem ad illud malum etiamnunc exstare. Hae lues, uti ab Calmeil opere ampliore (1) referuntur, speciem etiam historiae universalis exhibent, nam omnio tempore magni fluxus, qui in illis agebant, morbosas adduxerunt superlationes. Omnes autem hae evagationis mentis populorum ubivis vanitati, avaritiae, iracundiae, dominandi cupidini, sicuti politico religiosoque insectandi ardori ad finem suum consequendum aptus exstiterunt praetextus. Quod singuli vel totae classes morbum modo simulabant, id quidem symptoma tantum et lineamentum singulare totius imaginis est, quo es-

---

(1) De la folie etc. Paris 1845, deutsch bearbeitet von Leubuscher. Halle 1848.

sentia istius status non immutatur, etenim quod quis conscius irritabilitate utitur, eo rationabilitas non evadit (1).

SYMPTOMATA.

Nostrae quoque tempestatis status morbosi communibus omnium harum causarum effectibus producti sunt, et accuratiore disquisitione tam singula quam universalia facile reperias. Jam levis quaedum rei contemplatio nobis morbosam elationem aemulationis appetentiaeque libertatis externae quoquoversus proponit.

Seditio Parisiensis omnes limites perrupit et ex sanguine caesorum multisque ruinis summa populi potestas, res illa admodum ambigua, qua et maxima licentia et tyrannis severissima continetur, caput suum maxime terribile extulit. Obtuso quodam modo animi nuntio illius facti allato animi arrigebantur, quippe exspectabatur, sperabatur, timebatur. Nonnullis in locis, ubi res praeteritae vel singuli viri appetentiam libertatis externae jam plus excoluerant, ejus explendae desiderium movebatur. Aemulatio pavida omnium exspectatione valde sustentabatur ac revolutionis procellariae sedulo circumvolitabant, ut fomitem ubique paratum accenderent. Legitima quidem adhuc erat auctoritas, at ambitus ejus et potentiae vacillabant et utriusque

(1) Hecker über die Sympathie. Id. die Kinderfahrten. Sprengel, Gesch. der Medizin. T. V. p. 628 sqq. Ideler, Marx, Esquivol ll. cc.

probandi cupido nascebatur. Per se sane multa hic disserere licet. sed historia serie rerum. quarum connexus, sive pateat, sive non liqueat, nullam admittit cavillationem, strenue procedit, non curans ingenii humani aut perspicacitatem aut imbecillitatem.

Certamina Viennense et Berolinense Germaniam quoque plano liberabant, i. e. praesentem societatis statum tollebant et communi efficacitati omnium nationis studiorum et nisuum, vel externis non exclusis, novum restituendum permittebant.

Cujus conditionis periculum haesitatio omnium occultabat, quid libertate recenti faciendum esset. Unus modo nisus, jam dudum in natione reconditus, ab optimo quoque et nobilissimo patriae filio per quodvis servitii tempus sustentatus, celeriter et una cum appetentia libertatis externae processit. unitatem ille nationis petens, qui toti commotioni individualem populi nostri characterem tribuit, siculi indtvidualem quoque praedispositionem ad motum exhibuit. Idem nisus, qui sui amorem singulorum in patriae amorem extendit, qui in magnitudine, potentia et gloria patriae honorem suum proprium reperit, bonum adversus egoistas munimentum fieri videbatur, nodumque omnibus vitae conditionibus intricatum feliciter solutum iri spem movebat.

Verum nisus in vulgo creberrimi principatum obtinebant ac principium summae populi potestatis, quod „studiis singulorum minimo civitatis imperio adulatur,“ (1) imprudentem omnium ordinum plebem allicie-

(1) Dahlmann, Polit. p. 230.

bat. Vox democratiae rapide divulgabatur, tam ductilis illa quidem, ut omnibus a partibus reciperetur. Socialistae, communistae, reipublicae propugnatores pariter de republica sermocinabantur atque amici solii regii de monarchia democratica, logice quidem grammaticali reluctante, sed scrupulis antemartiis abjectis. Nulla factio ista voce carere se posse existimabat, unde ejus vis mirabilis patescit (1). Constitutioni, quae dicitur, addicti, quos vox Souverainetät minus bene afficiebat, partem vero potestatis suam non dimissuri, illam in Anglicam (self-governement) convertebant, significatione omnino eadem manente. Rei tantopere consentaneum videbatur, populum, cujus gratia regnatur, modum quoque praescribere, quo regatur, ut nulla oppositio fieri posse videretur. „Die Herren von der Steuer wissen viel, wie Unser einem zu Muthe ist, der die Steuern zahlt,“ ajebat rusticus, non reputans, viris vectigalibus exigendis praepositis facilius posse contingere, ut pecuniae solutionem rem nemini gratam esse perspiciant, quam sibi, ut de ratione, qua vectigalia commodissime et distribuenda et consumenda sint, recte judicet. Ista agendi ratio saepe mihi verba Langermanni (2) in memoriam revocavit. „Viele Weiber sind naiv genug, sich einzubilden, das Kindergebären habe ihnen Kenntniss und Erfahrung in Ansehung der Gesundheits-Umstände des weiblichen Geschlechts gegeben. Wie sehr

---

(1) Guizot, de la démocratie en France. Leipz. 1849. p. 2.

(2) Ueber die Lösung der Nachgeburt. 1805. p. 22.

wäre zu wünschen, dass dies nicht ein leerer Wahn sein möchte. Aber die kopfschüttelnden Männer behaupten, dies sei gar nicht der Fall, denn so wenig sie durch Essen und Trinken das Verdauungsgeschäft und seine Krankheiten kennen lernten, und ein Dummkopf bloss durch Ohrfeigen klüger werde, eben so wenig habe ihren Weibern das Kindergebären zur Kenntniss des Geburtsgeschäfts geholfen."

Agitationis ineuntis subsidia gravissima erant populi conciones, in quibus vis theorematum prolatorum communitate perceptionis provocatae augebatur, et quae aemulationi amplum efficacitatis campum aperiebant. Impetus in quamque fiebant, potentiam, quae nisum insanum adhuc coërcere potuisset, et qui non directe hanc insaniam participabant, ii illa curiositate eam obtuebantur, qua infans crepundia frangit, ut interiorem cognoscat fabricam. Repugnatio metu prohibebatur, qui adeo ne vulgari quidem prudentiae egoismi locum concedebat, ne nonnullae perderentur fenestrae, ut bona servarentur. Prosper eventus novos provocabat impetus, ut omnis potestas civilis everteretur; imo pronuntiabatur saepenumero, quamque legem tyrannidem, libertatem modo in anarchia esse, id quod de hac sane libertate verissime dictum. Tota insania horum nisuum ex §. 19. explicationis jurium humanorum, uti Berolini conventu democratico proponebantur, nobis patet: „In jedem freien Staate muss das Gesetz hauptsächlich die öffentliche und persönliche Freiheit gegen die Gewalt der Regierenden sicher stellen. Jede Ein-

richtung, welche nicht das Volk als gut und die Behörden als bestechlich voraussetzt, ist fehlerhaft" (1). Hic igitur finis appetebatur: „On a coutume aujourd'hui de chercher l'harmonie des pouvoirs et la garantie contre leurs excès dans leur faiblesse. On a peur de tous les pouvoirs. On s'applique à les énerver tous tour-à-tour, craignant qu'ils ne se détruisent mutuellement ou qu'ils n'empiètent sur la liberté. C'est une erreur énorme. Tout pouvoir faible est un pouvoir condamné à la mort ou à l'usurpation. Si des pouvoirs faibles sont en présence, ou bien l'un deviendra fort aux dépens des autres, et ce sera la tyrannie, ou bien ils s'entraveront, ils s'annulleront les uns les autres, et ce sera l'anarchie" (2).

Multis exemplis illius dicti veritatem historia docet, sed ea tantum singuli, non populi erudiuntur, et quotiescunque illa quaestionem proposuerit, stultitia hominum semper idem dabit responsum, quod jam ante saecula tamquam falsum rejectum. Nolo equidem accuratiore disquisitione singulis in casibus gradus morbi exponere: caedes fraudulentae declararunt, quam belluinae crudelitatis homines capaces sint, si ducibus egoistis incitati, qui libidinem aliquid insigne perhibent, caeci quasi nisus suos sequuntur. Nolo omnes aberrationes ridiculas recensere, ad quas insanus progrediendi

(1) Die Reform, Organ der demokratischen Partei. Nr. 189. 31. Octob. 1848.

(2) Guizot, de la Démocratie. p. 55.

ardor deduxit, qui nobis per communismum cum suo „la proprieté c'est le vol“ nullam bonorum possessionem veteris Spartae et polygamiam civitatum gentilium revocaturus erat.

Decursus, quem malum capere oportebat, ex causis suis suspensus et in his excutiendis jam allatus est, atque exempla, qui quaerit, non deerunt. Equidem unum tantum ex copia larga depromam, quod multitudine in eo agentium causarum per se jucundum insaniam affatim declarat. Dico disceptationem de Waldeckii propositione pridie Kal. Novembres a. 1848. „Die National-Versammlung wolle beschliessen, dass das Staats-Ministerium aufzufordern sei, alle dem Staate zu Gebote stehenden Mittel und Kräfte schleunigst aufzubieten.“ (1)

Quae propositio non minora spectabat quam nostri exercitus pecuniaeque impensam, quo allatae quoque emendationes redibant. Quodsi reputamus, Viennam jam tribus diebus ante oppugnari coeptam esse, et verisimiliter nuntium urbis pridie deditae regimini nostro jam allatum fuisse, sed ab eo prae metu commotionis etiam vehementioris occultatum esse, aut certe brevi hunc exitum exspectandum fuisse: illa sane disceptatio nobis insaniae perfectissimae imaginem exhibet, quippe hic aperte accidit, quod in parte opusculi nostri generali insaniae essentiam statuimus, perfecta cessatio con-

(1) Verhandlungen der Versammlung zur Vereinbarung der Preuss. Staatsverfassung. T. III. p. 292.

scientiae subjecti et relationis ad objectum (d. Nicht-ich).

Nolo hic de relatione istius conventus ad civitatem Borussicam verba facere, nam fines competentiae poterant praetermitti; nec pericula belli Europaei meminerim, quod necessario insequi debebat, etenim id quoque aut hebetudinem fugere, aut singulis viris gratum esse poterat: dicam modo, plane fieri non potuisse, id quod vel stultissimo cuique patere deberet, ut subjectum conventus cum objecto urbis Viennae istam auxiliandi rationem inire posset. Nihilominus conventus tale consilium cepit et orbi terrarum spectaculum dedit unum omnium maxime mirabile. Quod conscii egerint, qui hoc consilium provocabant, id rem ipsam non immutat et singulare modo est signum universalis status morbosi. Spectaculum consiliorum insanorum duntaxat declarat, altum pathologicum ductum totum hoc tempus permeare, qui generalia aeque ac singularia vi inexsuperabili secum abripiat.

PROGNOSIS.

Ex iis, quae attulimus, facile possis concludere, recreationem isto ex statu vix sperandum esse. Nihilominus prognosis in universum non ita infausta. In parte hujus opusculi generali jam docuimus, illam ex modo temporis maxime suspensam esse, quo imaginationes insaniam gignentes ad nosmet ipsos promovendos indigeant, et ex affinitatis intercedentis gradu. Morbus inde spectatus ostendit, massas illas imaginatorias, re-

pente in nationem intimam (in das Ich der N.) conjectas, eam celeriter occupasse et toti ejusdem complexui imaginatorio paene nulla ratione cognatas esse, namque in multitudine nationis nulla reipublicae condendae desideria: tota ejus historia omnino est monarchica. Proinde jam prognosis morbi tamquam nationalis est laeta, nec magis potentiae morbum directe provocantes ac sustentantes longiori ejus spatio favent. Etenim nisus libertatis externae ardentior terminos in se ipso fert, et aemulatio ardentior potest sane homines in turbine secum abripere ordinemque rerum vehementer conquassare; semper autem excitati fines nobismet ipsis omnino alieni sunt, qui quidem aliquamdiu vi quadam externa inferuntur, resuscitatis vero commodis propriis serius rejiciuntur.

CURA.

Ex rerum causalium pensitatione indicationes quoque generis therapiae redundant, qua morbus tractandus. Ante omnia eae vitae actiones, quae ipsi aegroto ac totalitati societatis pericula parant, inhibendae sunt, id quod vi et externa consequimur et interna, quam metus, ne commoda laedantur propria, exercet. Haec curae pars negativa, quamvis necessaria et efficacissima sit, sola tamen ad perfectam valetudinem restituendam haud sufficit, quum hic illa Grammaticorum regula, duplicem negationem valde affirmare, locum non habet. Semper therapia potius positiva adjungi debet, quae in lege antagonismi sita, excitandis et promovendis cogi-

tationibus oppositis, hostiliter illatas repellere studet. Parti hujus functionis jam negativis curandi indicationibus explendis satisfit. Ipsa autem experientia recentior nos edocuit, propria commoda, quantacunque vis eorum est, quam parum se longius laedi patiuntur, altioribus tamen commodis cedere, nam illam ad egoismum infimum directam appellationem denegationis vectigalium natio prope omnis aversabatur.

Efficax remedium autem studium nationis uniendae est, quippe quod revolutioni ipsi etiam subjectum esset, et nisus hostiles praetextu morali et simulatione patriae amoris privet. Neque regimen nostrum hoc remedium praetermisit, sed identidem docuit, se ejus gravitatem perspectam habere eodemque uti velle. Voluntas itaque adest, cui genius nationis bonum det successum.

CONCLUSIO.

Qui arbitrentur, has res extra fines medicos sitas esse, iis apponam verba Heckeri: „Morborum popularium origines et in genus humanus effectus cognoscere, medicinae illius nobilioris est, quae febres et ulcera agitare non contenta, rerum naturam circumspecte scrutatur“ (1). Me autem factiosum exstitisse, si quis objiciat, ei respondeam, me solo veritatis amore ductum esse, nulli parti, sed soli humanitati addictum. Finem igitur verba faciant Godofredi Argentoratensis:

(1) De peste Antoniniana commentat. Berol. 1835.

Tiure und wert ist mir der man,
der guot und übel betrahten kan,
der mich und ieglîchen man
nâch sînem werde erkennen kan.

Tristan und Isolt.

VITA

Natus sum ego, Carolus Theodorus Groddeck, anno h. s. XXVI. die XI. mensis Aprilis Gedani, patre Carolo, matre Elmira e gente Hecker, quos adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Primis litterarum elementis eruditus, Gymnasia, primum Gedanense, tum Mariaeinsulanum frequentavi, ac maturitatis testimonio instructus, ineunte vere anni h. s. XLV, Heidelbergam me contuli, ubi per unum semestre jurisprudentiae studio operam dedi. Quo quidem studio dimisso, universitatem Berolinensem petii, ubi Ill. Trendelenburg, rectore magnifico, a decano maxime spectabili Ill. Hecker studiosorum medicinae numero adscriptus sum.

Docuerunt me: Ill. Mueller physiologiam, anatomiam generalem, specialem ac comparatam, nec minus corpora humana rite dissecandi artem; Ill. Beneke logicen; Ill. Trendelenburg psychologiam; Ill. Weiss mineralogiam; Ill. Lichtenstein zoologiam; Ill. Schultz botanicen; Ill. Dove physicen; Ill. Mitscherlich chemiam tam organicam, quam anorganicam; Ill. Hecker encyclopaediam et methodologiam medicinae. Tribus semestribus praeterlapsis Halas petii, ubi per biennium haec adii collegia: Ill. Friedlaender de materia medica et de historia medicinae; Ill. Krukenberg

de pathologia et therapia speciali atque generali; Ill. Blasius de chirurgia, de ossibus fractis et luxatis, de akiurgia; Ill. Volkmann de physiologia et de anatomia comparata; Ill. de Baerensprung de auscultatione et percussione. Scholis clinicis interfui medicis Ill. Krukenbergii per quatuor semestria, chirurgicis Ill. Blasius per semestria duo. Tum iterum in almam universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem me contuli, ubi me docuit Ill. Casper medicinam forensem, ac scholas frequentavi obstetricias Ill. Busch.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, maximas quam possum gratias habeo, semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut hac dissertatione una cum thesibus publice defensa, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Cholera Asiatica non est morbus contagiosus.
2. Diaeta in plurimis curandis morbis efficacior est medicamentis.
3. Ligatura arteriarum compressioni ac torsioni praeferenda est.
4. Nemo medicus, nisi chirurgus.
5. Medici consolatio interdum solum atque optimum est remedium.